

Sepulcrum in dicto Monasterio liberam fore decernit.

Solite conclusiones.

ram esse concedimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati sint vel interdicti, nullus obstet: salvâ tamen iustitiâ Ecclesiarum illarum, de quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hæc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat; Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Signum Alexandri Papæ III.

VIAS TUAS DOMINE DEMONSTRA MIHI.

S. PETRUS & S. PAULUS.

Alexandri PP. & S. R. E. Card. subscriptiones.

- EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ubalduſ Oſtien. Episc. ſs. Ego Bernardus Portuensis, & sanctæ Rufinæ Episcopus. Ego Joannes Presb. Card. sanctorum Joannis & Pauli tit. Pammachii ſs. Ego Albertus Presb. Card. tit. S. Laurentii in Lucina ſs. Ego Guillelmus Presbyter Card. tit. S. Petri ad Vincula ſs. Ego Boso Presb. Cardinalis S. Pudentianæ tit. Pastoris ſs. Ego Joannes Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci ſs. Ego Theodinus Presbyt. Card. S. Vitalis tit. Vestinæ ſs. Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tit. sanctæ Cæcilie ſs. Ego Petrus Presbyter Cardinalis tit. sanctæ Sufannæ ſs. Ego Jacintus Diaconus Card. sanctæ Mariæ in Cosmedin ſs. Ego Cintius Diac. Card. sancti Adriani ſs. Ego Ugo Diac. Card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ ſs. Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu ſs. Ego Raynerius S. Georgii ad Velum aureum Diac. Card. ſs.

Dat. die 10. Aprilis anno Domini 1176. Pontif. anno XVII.

Datum Anagninè per manum Gratiani sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarii, II. Kalendas Maii, Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVI. Pontificatus verò Domni Alexandri Papæ III. anno XVII.

LXXXIV.

Confirmatio Privilegiorum, a Summis Romanis Pontificibus concessorum Monasterio Sancti Joannis in Venere Teatinæ Diocesis, ac omnimoda exemptio a jurisdictione Ordinarii.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Oderisio Abbati Monasterii S. Joannis in Venere, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regulariter substituendis, in perpetuum.

Ital. Sac. Tom. VI. ubi de Teatinis Episcopis.

Exordium.

VOX clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, monet nos inter rectitudines ingredi, quoniam fortitudo simplicis via Domini recta: ergo petentibus non est denegandus auditus, quia servorum Dei quieti pro nostro est officio providendum, quatenus, a secularibus tumultibus liberi, in via Domini simplicibus animis fortiter ambulare prævaleant. Quapropter, filii in Christo, legitime Ordinis Abbas, tuis tuorumque fratrum justis deprecationibus exorati, ad honorem S. Dei Genetricis & Virginis Mariæ, & S. Præcursoris Domini Joannis Baptistæ. Cœnobium ejus nomini dedicatum, in quo omnipotenti Domino unanimiter deservitis, in Apostolicæ Sedis gremio perenniter conservandum, præstante Deo, auctoritate præsentis privilegii communimus; privilegiorum siquidem formam sequentes, quæ vestro Cœnobio a nostris prædecessoribus sanctis, videlicet Leone, Victore, Nicolao, & Urbano collata sunt, vobis vestrisque successoribus illa omnia perpetuo possidenda confirmamus, quæ Transmundus Comes Transmundi Ducis, & Marchionis filius in Comitatu Teatino, Pinnensi, Aprutienti, Firmano, & Termulano, vestro noscitur Monasterio obtulisse: cætera quoque, quæ aliorum oblatione fidelium in jus vestrum & domini devenerunt, videlicet: In Comitatu Teatino has cellas, S. Joannis in Mulo-traverso, S. Zachariæ, S. Benedicti, S. Romani, S. Severini, S. Mariæ ad cappellam sœcus Ortanam, S. Pauli & S. Petri cum burgo, qui ex latere est: Item Ecclesiam S. Georgii, S. Philippi de Palatio, S. Angeli cum tertia parte portus Ortonæ, sanctæ Mariæ juxta rivum, qui dicitur Ericius: In curte Ateana SS. Martyrum Legontiani & Domitiani cum mille modis terræ juxta se: in curte de Agrame, S. Calari & SS. Virginum Aurea & Petronillæ, S. Ambrosii, S. Martini, S. Stephani ad collem in Bussi, S. Crucis cum duodecim marnatis hominum, S. Angeli intra oppida Septem exadverso S. Nicolai: Item cellam S. Joannis in Rocca cum oppido suo, S. Thomæ cum oppido suo, S. Farmanni, S. Eustachii cum castello suo, S. Apollinaris cum castello suo, S. Nicolai cum castello suo, S. Mariæ Inca cum castello suo, S. Mariæ in Crypta Trinea, S. Angeli in Pescelo, S. Angeli in Ortecle cum oppido suo, S. Marci, S. Quirici, S. Lucie in Argelli, S. Pantaleonis, S. Crucis in Alento cum oppido Mucella, S. Ansuini, S. Joannis in Retro, S. Pauli in Piscaria cum oppido suo, sancti Laurentii in Piscaria cum quarta parte de transverso ejusdem fluminis, & quarta portus ejusdem, S. Nicolai cum oppido Sangro, S. Cantianæ in castello Pal.

Jo Palledo, S. Martini de filiis Teodaldi, S. Petri in Batinario cum Fara sua, S. Agathæ, sancti Pancratii, S. Justini de Casole, S. Petri in Lauro, S. Petri de Linari cum castello Resse, S. Petri in Parlasi, S. Mariæ in Valle, S. Mariæ in Teramo, S. Viti in Portule: Oppida verò hæc Foslam-cæcam, Castellum-muratum, Roccam de Sclavis, Giruli Laternum, Montes Octaviani, Guastura, Meruli, Porcile, Malianico, Castellum-vetus, Balerianum, Faram Benedicti filii Uberti, Faram filiorum Bederochi, Montem S. Silvestri, Petrarium, Senellam, Castellinum, castrum Aymonis, Turricellam, Montem collis, Marini, Ilicem, Rivum-justum, Maclam, Scornioſam, Casale S. Benedicti, Morum-rivum Petri Pesci: In comitatu Pinnensi cellam S. Mariæ Anfrilano, S. Mariæ in Ponzano cum castello Casavetere, S. Michaelis in Boccarieto cum Fara sua, & Fara de Saratico, S. Michaelis in fine cum Fara & Poggio suo, S. Petri in Campo-rotundo, S. Mariæ in Loquiano cum pogio suo, S. Mariæ in Rivo Sonuli, S. Joannis in Aquaviva cum casali suo, sancti Petri, S. Joannis ad Ponticulum, sancti Antonii, sanctæ Mariæ in Rigulo, S. Salvatoris in Casa-nigra, S. Margaritæ in Legoniano, sancti Jo. in Carpeneto, sancti Angeli in Rivo turbido, S. Mariæ in Valle, S. Nicolai in Plomba, sancti Laurentii juxta Gomarium, S. Joannis ad Casam-comuste, Castellum ad mare, Speltore, Furcam Confenga, Montem Sylvarium, civitatem S. Angeli, Ilicem sanctæ Crucis, casam Lariti, Ilicem Trallionium, Pizanum, Scurranum, montem Valterii, Monticulam, Spatulam ruptam, Arsetam, Bifenum, Antianum, Ranchi, Sylvam, Mitilianum, Casula murum. Altum-castellum ultra montem Peditarum sancti Joannis de filiis Tribuni: In comitatu Aprutien. cellam sancti Joannis in Gomano cum castello suo, Cerrum Bifurch, sancti Donati in Salinello cum castello Palmæ, sancti Stephani ad Mura, & Ecclesiam sancti Angeli, montem Paganum, Grassianum, Ripam filiorum Azonis, Pogiolum Morum-Morelli, curte de Pedoniano, totam curtem Totam de Buccelliano, tertiam partem curtis de Semproniano: In Comitatu Firmano cellam sancti Nicolai cum castello Paterno, Monteronem, medietatem curtis de Supplica, integram curtem de Aquaviva, montem Bolarium, castellum Rodastarisci, castellum Colinari, Ecclesiam sancti Passicis: In Comitatu integram curtem de Palveniano: In Comitatu Camerino terram cum suis cultoribus: In curte Cæsepalumbi mediam curtem de Visiliano, quartam partem curtis de Albano: In Comitatu cellam sancti Martini, sanctæ Mariæ in Contro cum ejus Eccl. sancti Januarii, sancti Victorini, sancti Laurentii, sextam partem S. Salvatoris: apud Lisinam, cellam S. Archangeli: Ferrarie, cellam S. Nicolai: In Civitate Eccl. sanctæ Mariæ ad vineam. Tilliatam: In Principatu Beneventano Eccl. sanctæ Anastasii, sancti Joannis in Barfica, cellam sancti Anastasii, in civitate hereditatem Leonis Pinnini integram: In Dalmatia apud Bellumgradum cellam sancti Thomæ, similiter etiam Teloneum mercatorum, & pretium, decimasque, & oblationes mortuorum, & omnibus absque contradictione aliqua teneatis. Præterea per præsentis decreti paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quæcumque in cellis

in Ecclesiis, in oppidis, villis, silvis, pascuis, fluminibus, portibus, littoribus, piscariis tam maris quam fluminum, molendinorum, aquarum decursibus, in servis & ancillis, & quibuslibet rebus mobilibus & immobilibus, hodie vestrum Cœnobium justè possidet, vel in futurum, juvante Domino, justè acquirere poterit, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Chrisma verò, consecrationes Altarium seu Basilicarum, ordinationes aliorum Clericorum, qui ad sacros sunt Ordines promovendi, a quocumque volueritis Catholico accipiatis Episcopo. Intra totius Abbatii terminos nullus Episcopus, nisi a te invitatus, Synodum celebrare, vel clericos constringere audeat, ut intelligas curam hæc ad tuam sollicitudinem pertinere non aliter, quam vice tibi a nobis indulta. Obeunte verò te, ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet astutia vel violentia præparatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dominum, & Beati Benedicti regulam elegerint: electus autem, ad Romanum Pontificem consecrandus accedat. Vos vero, filii in Christo legitimi, oportet, collatam vobis gratiam in omnibus constitutionibus, & tantis Sedis Apostolicæ beneficiis dignis operibus respondere; nec libertate hæc in occasionem carnis, & velamine malitiæ abutimini; & quanto a secularibus tumultibus liberiores estis, tanto amplius placere Domino totis mentis & animæ viribus procurate. Decernimus ergo, ut nulli omnino liceat, præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata, omnia & tuta conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona contra hæc nostræ constitutionis paginam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, ita quod se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen. Amen. Amen.

- EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ubalduſ Oſtien. Episc. & S. R. E. Card. subscriptiones. Ego Bernardus Portuensis, & sanctæ Rufinæ Episcopus. Ego Joannes Presb. Card. SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii. Ego Albertus Presb. Card. tit. sancti Laurentii in Lucina. Ego Vitellius Presb. Cardinalis tit. sancti Petri ad Vincula. Ego Boso Presb. Cardinalis S. Pudentianæ tit. Pastoris. Ego Joannes Presb. Card. S. Marci. Ego Theodinus Presb. Card. S. Vitalis tit. Vestinæ.

K k 2

Ego

Bull. Rom. Tom. II.



Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tit. sancte Cæcilie. Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Susannæ. Ego Jacintus sancte Mariæ in Cosmedin Diac. Cardinalis. Ego Cintius Diac. Card. sancti Adriani. Ego Ugo Card. sancti Eustachii juxta templum Agrippæ. Ego Laborans Diac. Cardinalis sancte Mariæ in Porticu. Ego Raynerius Diac. Card. sancti Georgii ad Velum aureum.

Datum Anagninæ per manum Gratiani sancte R. E. Subdiac. & Notarii. XVI. Kal. Julii, Indiæ. IX. anno Dom. Incar. MCLXXVI. Pontificatus verò D. Alexandri Papæ III. anno XVII.

LXXXV.

Podius Bonitius in Diocesi Florentina positus Senensibus Episcopis adjudicatur.

Simile Diploma edidit Hadrianus PP. IV. anno 1155. quamvis sequenti anno contrariam omnino Com. ediderit, prout constat ex sequenti contextu.

Ex Tabulario Ecclesie hujus edidit Ughellius Ital. Sac. Tom. III.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gunteramo Senen. Electo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Communi & speciali debito tuis cogimur petitionibus condescendere, & effectum congruum indulgere, ut qui tenemur universos in suis justis postulationibus exaudire, tantò tibi amplius videamur esse propitii, quanto te & Ecclesiam tibi commissam abundantiori diligimus charitate. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam in Monte Bonizi a. b. m. Raynerio prædecessore tuo in fundo vide licet, quem b. m. Comes Guido concessit beato Petro, & pia record. prædecessori nostro Adriano Papæ, de ipsius prædecessoris nostri auctoritate & concessione constructam, de communi consilio fratrum nostrorum tibi & tuis successoribus concedimus & confirmamus; dantes vobis liberam facultatem, sicut idem prædecessor noster dedisse dignoscitur, eandem Ecclesiam sine contradictione qualibet consecrandi, & in ea Clericos juxta vestra voluntatis arbitrium ponendi & liberè ordinandi: non obstante retractione, quam præfatus prædecessor noster super hoc, levi & vano errore ductus, ea consideratione fecisse dignoscitur, quod locus in Episcopatu Florentino consistit; cum in privilegio ipsius prædecessoris nostri continetur fundum ipsum a memorato Comite supra fuisse concessum, & ab eodem prædecessore nostro ad Ecclesiam ibi conservandam sub annuo censu unius bizantii tuo prædecessori collatum. Statuimus autem, sicut præfatus prædecessor noster noscitur statuisse, ut quicumque de tua Diocesi ad locum illum transferint, in omnibus spiritualibus tibi tantum & successoribus tuis debeant respondere, & vos eandem, quam prius, habeatis in eis omnino potestatem. Cæterum ad hujus nostræ concessionis &

Cum derogatione constitutionis Hadriani Papæ prædictæ.

confirmationis indicium unum bizantium nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvendis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ concessionis & confirmationis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Decretum confirmationis hujus concessionis.

Solite conclusiones.

EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Alexandri PP.

Ego Ubaldo Ostiensis Episcopi.

& S. R. E. Card. subscriptiones.

Ego Bernardus Portuensis, & S. Rufinæ Episcopus subsc.

Ego Joannes Presb. Card. SS. Joannis & Pauli tit. Pamphili.

Ego Guillelmus Presb. Cardinalis tit. S. Petri ad Vincula.

Ego Boso Presb. Cardin. S. Pudencianæ tit. Pastoris subsc.

Ego Joannes Presbyter Cardinalis sancti Marci subsc.

Ego Theodinus Presb. Card. sancti Vitalis tit. Vestinæ subsc.

Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Cæcilie.

Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Susannæ.

Ego Jacintus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin subsc.

Ego Cintius Diac. Card. S. Adr. s.

Ego Ugo Diac. Card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ.

Ego Laborans Diac. Cardinalis sancte Mariæ in Porticu.

Datum Anagninæ per manum Gratiani sancte Romanæ Ecclesie Subdiaconi & Notarii, X. Kal. Junii, Indiæ. IX. Incarnationis Dom. anno MCLXXVI. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. an. XVII.

Dat. die 21. Junii an. Dni 1176. pontif. anno XVII.

LXXXVI.

Confirmatio Monasterii de Boscoduno, bonorum, que ad illud pertinentium: & inhibito, ne quis de ejus novalibus aut nutrimentis animalium decimas exigat.

Ex Gall. Christ. nove edit. inter Instrum. la. Ecclesie Ebrodunens. num. XL.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis. Guigoni Abbati Boscaudunensis Monasterii, ejusque fratribus regularem vitam professis, in perpetuum &c.

Deest initium.

Quapropter, dilecti in Domino filii, præfatum Monaster. in quo divino participati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privile-

Monasterium sub protectione no. sedis Apoll. recipit.

Donaque omnia eorum confirmat.

villegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impresentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu justis aliis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum, qui Boscaudon dicitur cum pertinentiis suis, in quo Monasterium ipsum fundatum est, Abbatiam de Pratis, & Abbatiam de Laura, quam ædificatis, cum possessionibus, Laveram cum suis possessionibus, domum sancti Mauricii cum suis pertinentiis, vineas de Romolano, vineas de Capdavaco, vineas de Moillatou, Grangiam de Paillyrol cum omnibus, quæ in illo territorio habetis, Grangiam de Villario Roberti, & quidquid ibi habetis & possidetis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, &c.

Alexandri PP. subscriptio.

Dat. die 4. Julii an. Dom. 1176. Pontif. anno XVII.

EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Ubaldo Ostiensis Episcopus &c.

Datum Anagninæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiac. & Not. IV. Nonas Julii, Indiæ. IX. Incar. Dom. anno MCLXXVI. Pontif. verò D. Alex. PP. III. anno XVII.

LXXXVII.

Confirmatio donationum omnium, favore Capituli & Canonicorum Aquilejensis Ecclesiæ factarum.

Ex originali edidit Ugh. It. Sac. Tom. V. ubi de hæc. desit.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Valderico Præposito, & Canonicis Ecclesiæ Aquilejensis, tam præsentibus quam futuris canonicè substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Quotiens illud a nobis petitur, quod rationi conveniat, & consonet honestati, animo nos decet libenti concedere, & effectum justis petentibus indulgere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Ecclesiam, in qua divino estis obsequio participati, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impresentiarum canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Villam de Meletero cum omnibus finibus & pertinentiis suis, scilicet cum Villa Sclavorum, quæ similiter dicitur Meleterum, Palmata, Ronch, & Ronchetas, cum agris vineis, pratis, pascuis, cultis & incultis, sylvis, & venationibus usque ad sylvam S. Laurentii, &

Ecclesiam hanc sub Sedis Apoll. protectione suscipimus.

Donationes omnes, ejus favore factas, vel impostorum faciendarum rationes habere, acque confirmat.

usque ad villam, quæ dicitur Claviam, & usque ad villam, quæ dicitur Antonianum, & usque Feletas, & usque Becinis, & usque ad villam S. Stephani, & usque ad Risam, & usque ad villam, quæ dicitur Perferiano: Villam quoque de Castone, & de Murano cum finibus & pertinentiis suis, a villa S. Andrea usque ad villam, quæ dicitur Ganarium, & usque ad sylvam cum omnibus redditibus suis, cum vineis, agris, pratis, pascuis, cultis & incultis, paludibus, & sylvis, cum venationibus, cum aquis aquarumve decursibus, cum molendinis & piscationibus: Villam etiam de Mariano, & villam de Carlinis, & villam S. Georgii, & villam de Mutiana cum omnibus redditibus suis, unà cum omnibus finibus & pertinentiis suis, cum campis, vineis, pratis, pascuis, cultis & incultis, cum aquis aquarumve decursibus, ac molendinis, insulis a mari & a flumine, quod dicitur Carnium, usque ad aquam, quæ dicitur Aruinus, cum paludibus & piscationibus, cum sylvis & venationibus: Ecclesias Baptismales Aquilejensis Patriarchatus cum cappellis sibi pertinentibus, sicut eas pacificè possidetis: In foro Aquilejensi triginta stationes, & in portu Piri viginti: quinquaginta mansos in Ossellam cum Ecclesiis & decimis, villam de Farra cum adjacentibus villis videlicet, villam de Petolan, & Draam, & Sebredam, & Villa nova, Gradisca, Bruma cum omnibus pertinentiis suis a monte, qui dicitur Cars, usque ad fratram Ungarorum, & usque ad villam, quæ dicitur Algo, cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis, pratis, sylvis, pascuis, cultis & incultis, venationibus, & piscationibus, & omni jurisdictione imperiali, prout Imperator Otto bo. mem. Aquilejensi Ecclesiæ & Canonicis tradidit: etiam & Carniam villam de Penicles, & villam de Nogarias, & villam de Felas in monte S. Petri, & montem de Tenca, & quatuor mansos in villa Avale, & villam de Battalia, & tres mansos apud Ingiam, & novem mansos apud Pinzan, & quindecim mansos apud Grunas, & quemdam montem apud Avenzon. Præterea sicut Burkardus Advocatus Aquilejensis Ecclesiæ, & postea Henricus, Placitum advocatæ in manu Patriarchæ Valrici resutarunt pro se & successoribus suis super omnibus bonis, Aquilejensi Ecclesiæ pertinentibus, cum omnibus districtis usibus & pertinentiis, ita & nos auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, suprad. Eccl. temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed illibata omnia & integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Aquilejensis Patriarchæ canonicè justitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Decretum immunitatis a qualibet externa molestia &c.

Cum solitis conclusionibus.